



## CAROLO LUCARINI QUINQUAGENARIO

sunt qui, Carole, poculis abunde  
natalem genium tibi foventes  
dicant ex animo fideque certa  
tantum te sibi, nostra lux, amari,  
quantum se studium tuum vereri –  
quidni? prodigium es, nec, hercle, plura  
ipsam basia Lesbiam Catullo  
quisquam crediderit dedisse posse,  
quam, doctissime, fama te vagatur  
emendasse locos tot atque tantis  
inspectis vigili labore libris,  
Flacco ut surripiam locutionem,  
*sermones utriusque docte linguae* –  
sed fas esse negent honore tali  
πεντηκονταετην frui: moretur  
annorum spatium decem, priusquam  
chartas accipiat sibi dicatas.  
cur non arbitrium sequamur horum,  
paucis, hanc veniam peto, docebo,  
ne quid forte tibi ruboris addat  
haec nos ante diem tulisse dona.  
numquid par Agamemnoni dolosa  
gressum ferre per ostra non timenti  
iras tu, bone, concites deorum  
propter munera nostra permodesta,  
nec multorum hominum, nec ore magno?  
immo caelicolis, amice, gratus  
fastidire soles tumorem inanem  
regalique superbia carere,  
etsi nomine regio vocaris.  
sed iam pagina deficit. quid ultra?  
laudari patiare te bique  
nostrarumque velis benignus esse  
lector, Carole, lucubrationum.

D. K.